

qui in docendo Ecclesiae tam est necessarius, quam in agendo, quanquam utrobique à DEI Spiritu non determinatus.

§. XI. Sapienter itaque D. Dav. Cbytraeus noster, postquam in consilio de studio Theologiae recte inchoando monuisset: *primam discantis post precationem curam esse debere, ut textum Bibliorum sibi familiariter notum reddat, eaque in re tres scopos habeat in conspectu; primum ut historias sacras animis infigat, quæ cum natura capiant animos & delectent, facillime à teneris mentibus retinere possint. Deinde ut sententiâ insigniores, seu testimonia de singulis fidei Christianæ articulis & refutationibus errorum consideret, easque ad suos locos communes, qui doctrinæ summam continent, apte referat. Tertio ut in sententiâ insignibus, iis præcipue, qui summam Evangelii continent, singulorum verborum emphases, & pondera diligenter & attente consideret & expendat; tum notanter subjungit: proximum est, ut summam & velut corpus integrum veræ de D E O doctrinæ coagmentatum ex præcipuis membris, seu locis certo ordine distributis & perspicua oratione explicatis, animo infigant. Cujus rei necessitatem ex analogia cum artibus humanis, partim Apostoli auctoritate comprobatur: Ut enim, inquit, Polybius in lectione historiam jubet $\sigma\omega\mu\alpha\lambda\omicron\upsilon\pi\omicron\iota\epsilon\iota\upsilon$ & in omnibus aliis artibus initio summa rei in compendium & methodum contracta traditur: Ita maxime in Theologia methodus $\sigma\omega\mu\alpha\lambda\omicron\upsilon\epsilon\iota\delta\eta\varsigma$, seu, ut Paulina voce utar, $\acute{\upsilon}\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\pi\omega\sigma\iota\varsigma$, h. e. certa forma & summa veræ doctrinæ junioribus proponenda est, ad quam omnes Sacre Scripturæ partes dextre referant & quæ mentes eorum veris & proprie ac perspicue expositis sententiâ de omnibus fidei Articulis instruat & in omnibus controversiis ac disputationibus judicii norma sit. Quales doctrinæ Christianæ typos fuisse olim*

ait

Br. 5. 224 (5)